gravior redditur sonus. Nam ut tarditas proxima stationi est, ita gravitas contigua taciturnitati. Velox vero motus acutam vocem praestat. Praeterea quae gravis est, intentione crescit admodum. Quae vero acuta, remissione decrescit admodum. Unde fit ut omnis sonus quasi ex quibusdam partibus compositus esse videatur. Omnis autem partium coniunctio quadam proportione committitur. Sonorum igitur coniunctio proportionibus constituta est. Proportiones autem principaliter in numeris considerantur. Proportio autem simplex numerorum vel in multiplicibus vel in superparticularibus vel in superpartientibus invenitur. Secundum multiplices vero proportiones et superparticulares consonae vel dissonae voces exaudiuntur. Consonae quidem sunt quae simul pulsae suavem permixtumque inter se coniungunt sonum. Dissonae vero quae simul pulsae non reddunt suavem neque permixtum sonum. His igitur ita praedictis de proportionibus pauca dicamus.

DIVERSE DE INTERVALLIS SPECULATIONES

Si intervallum multiplex binario multiplicetur, id quod fit ex hac multiplicatione intervallum multiplex est. Sit multiplex intervallum B C et B multiplex eius quod est C, et fiat ut est C ad B, ita B ad D. Quoniam igitur B multiplex est eius quod est C, metitur C terminus id quod est B vel bis vel tertio vel deinceps. Ac est ut C ad B ita B ad D. Metitur igitur B terminus id quod est D. Quocirca etiam C terminus id quod est D metitur. Multiplex est igitur D eius quod est C. Et est DC intervallum effectum ex composito bis copulatio quae est sibimet ex binarium multiplicato BC intervallo. In numeris quoque id est probatur. Sit enim B ad C duplum ut binarius ad unitatem, et fiat ut C ad B ita B ad D. Erit igitur D quaternarius. Multiplex autem est B ad C, id est binarius ad unitatem. Multiplex igitur est D quaternarius ad C unitatem. Est enim quadruplus quaternarius unitatis et binario multiplicata medietas quod est intervallum B C.